



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 5. Lingua noxia. Ex Veteri, & Novo. Ex Patribus, & alijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

delectabiliter vescitur, & quia prospicit periculum (si enim chelas immiserit, relabente testâ coarctatur) solerter explorat, si quando ostreum se contra solis radios aperiat: tunc calculum immitit, & conclusionem, ostrei impedit: sicque hiantia claustra reprensus interiora ostrei chelis decerpit, & depascitur. Quid ostreum congruentius significat, quàm Monachum? qui nimirum vivit, dum sub silentii censura concluditur; perit autem, cum ad loquendum immoderatus aperitur. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 18.

Cum naturis reliquis homo præfideat, easque suæ ditionis legibus subdat; quanti pudoris est, ut carunculam tenuem, quam inter fauces includit, edomare non possit. Omnia ferarum genera in lingua reperiuntur: ibi quippe est leuitas volucrum, ibi feritas bestiarum, ibi fraus virulenta serpentum. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 18.

Ideo vixit Joannes Bapt. ab infantia in deserto; ut linguam suam ad tantum testimonium fervaret impollutam; quod non potest fieri inter homines. Unde II. 6. 7. antequam mittatur, purgantur labia ejus calculi ardenti tactu. Similiter Jeremias I. 9. purgatur, antequam mittatur, sed non calculi tactu, sed manus tantum: quia adhuc parum peccaverat in lingua, quia Puer erat. v. 6. Joannes verò nec calculo, nec manu, tangitur: quia linguam suam in deserto servavit impollutam. Hugo Card. in c. 1. Joan.

Difficilius est linguam non delinquere, quàm dæmonem opugnare. Linguam intrâ claustra provida inclusit natura; nè velata dentibus, obserata labiis, foras erumperet. Ut enim feras nondum mansuetas vinculis constringimus; nè, si liberè incedant, obvios dentibus dilanient, aut unguibus vulnerent: sic lingua, nè defæviat, dentium catenam vincula est. Naxera in Jos. 7. §. 46.

§. IV.

Lingua periculofum membrum.

Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Job. 19. 20. Labia, & linguam, illi reliquit: ut gladium in promptu haberet, si fieret furiosus. Stengelius t. 4. diy. Jud. c. 31.

Dæmonium - & illud erat mutum. Luc. 11. 14. Fuisse hunc hominem non mutum solum, sed etiã surdum, putat Tertull. l. 4. contra Marcion, Chrysoft. in c. 12. Matth. Theophylactus, & Euthymius, qui ait: dæmon nec loquebatur, nec audiebat; nec hominem sinebat loqui, vel audire. Non dicitur dæmonium mutum ab effectu, ut alii volunt, quod homines loqui impediret: dæmon enim potius loquaces faciet, quàm mutos: loquendo enim multa peccata committuntur, quæ tacendo vitantur, Barradius t. 2. l. 8. c. 15. D. 3. Quad.

Ab aure, quàm linguam, minus periculi est. S. Gregor. Naz. poem. de vita sua.

§. V.

Lingua noxia.

Ex Veteri, & Novo.

Nequaquam morte moriemini. Gen. 3. 4. Gravius peccitur: quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia v. 4. Leuius vapulat, cum hominis, Dei que, nititur absumere vitam; & gravius dum hominis linguam subruit fortunam: gravius enim est linguam, quàm ense, nocere. Naxera in Jos. 20. §. 4.

Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? Num. 20. 10. Plurimis licet signis, atque miraculis, clamasset Moyses; ubi modicè linguam lapsus, expers terra promissionis exitit. Magnum, & horrendum, mare viam ei præcludere non potuit; sed verbum unicum iniquè ab eo prolatum, velut murus aliquis, ei obstitit, nè ulterius progredi posset. S. Ephrem de vitio linguæ.

Fili mi da gloriam Domino Deo Israhel, & confidere. Jos. 7. 19. Lapidibus obrui præcepit; & duris lapidibus mellita verba jungit. Josua à duro non abstulit supplicio, sed asperis verbis: quia credit, facilius Achan ingruentium saxorum ictus patienter sustinere; quàm verba aspera tolerare. Mitiora ferri, quàm linguæ vulnera, Naxera in Jos. 7. §. 38.

Benedic Deo, & morere. Job 2. 9. Post damna rerum; post funera pignorum; post vulnera, scissurasque, membrorum; antiquus hostis linguam movit uxoris. S. Gregorius mor. l. 3. c. 6.

Hæc sunt tabernacula iniqui - ignorat Deum. Job. 18. 21. Cum Job in omni calamitate perstaret animosus, dæmon amicos in ejus patientiam armat; & duris illorum verbis pro armis usus, ejus patientiam evertere aggreditur; quibus ictus Job. usquequæ, inquit, affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus? c. 19. 2. Orig. in Cat. Gr.

Gladius acutus. Pl. 56. 5. **Sagitta est vulnerans.** Jer. 9. 8. Fecit cominus, & eminus. Velloso in Judith 7. Paræn. 30.

Suspiciens in cælum ingemuit. Marci 7. 34. Fortè qui svellet Dominum ingemuisse, ubi ad solvendam linguam accessit: quasi prænosens, quantum obfit lingua salutem. Bæza t. 2. l. 10. c. 9. §. 6.

Ut refrigeres linguam meam. Luc. 16. 24. Cruciabatur dives iste in lingua; scilicet pro loquacitate: quia in mensa loquacitati operam dedit. Hugo Card. hic.

Ex Patribus, & aliis.

An nescis? quia plurima pars culparum, atque poenarum, à sermonibus sumat exordium? S. Chrysoft. hom. 16. in Matth. c. 5.

Lingua dimidiam humanorum vitiorum partem sibi vendicat. S. Gregor. Naz. ex carm. in quo anima suæ calamitates deplorat.

Certè nulla res est, quæ majorem hominibus perniciem afferat, quàm lingua: in propinquo

est sagittarius, pestifera sagitta in arca est; nervi ipsi quam maximè intenti. Idem in Quadrag. jej. unij silentium. Deus bone! in quantos te ulus dives lingua dispergit; cum voluerit, sævit ut bestia, currit ut fluvius; fluctuat ut profundum: & quamcunque peccatis verborum imaginibus pingit speciem, veri ad stipulatione præsentat. Felix l. 1. ep. 1.

Facilius, si necesse est, quilibet ferre potest armatas ferrò acies, & instructas rebus bellicis legiones. Quis autem sustineat labiorum tela infixæ pectoribus? facilius sine dubiò recipiunt sanitatem corpora ferrò lacerata. D. Valerianus hom. 5. de bono disciplina.

Turpe est valde, quòd lingua canis est medicinalis; ut sanet vulnus omne, quod tangit; & hominis rationalis sit lingua mortalis, inficiens omne, quod dicit. S. Bonavent. l. 81.

§. VI.

Lingua varia vitia.

ERAT autem tempus &c. Num. 13. 21. Exhortatio hæc contigit sub initium Junii (tunc enim in Palestina, utpote regione calidà maturæ sunt uvæ) annò secundo exitus ex Ægypto. Transierat enim jam annus unus, & tres menses, ab hoc exitu: tuncque post paucos dies Hebræi ingressuri fuissent Chanaan, nisi murmurasset: hæc enim murmuratio ingressum eorum distulit usque ad triginta octo annos Cornelius hic.

Misit Dominus in populum ignitos serpentes. Num. 21. 6. Quare à serpentibus perierunt? nisi quia serpens venenosus est: & omnis, qui murmurat, venenum diaboli habet, in lingua. Unde Jacobus Apost. *lingua inquietum malum, plena venenò mortifero.* S. Bernardus l. de modo vivendi. Did. del Castillo Il. lat. 181.

Suffratoria. Cucurrit puer, & nuntiavit Moysi. Num. 11. 27. Talis suffurro Doëg. 1. Reg. 22. 9. Vide filium Isai in Nobe. Nuntiatumque est Saul à dicentibus: *ecce David &c.* 1. Reg. 19. 19. *Nuntiatumque est Holoferni:* suffurrones hi referunt, quod odium excitet affectu nocendi. Judith 5. 1. *Viri isti consemperunt, Rex, decretum tuum.* Dan. 3. 12.

Impudica. Sepulchrum patens est lingua impudica, quæ loquitur de luxuria, & spurcicia. Apoc. 9. de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur. Hugo Card. in Pl. 13. Vide tit. sermones.

Adulatoria. Lingua adulatoria est venenum aspidum sub labiis; quod facit hominem obdormire, & mori. Idem ib.

Superba. Dominum discat lingua nostra imitari. Quod si faciemus; non dubito, quin

ante tribunal Christi magna cum fiducia stabis: ubi, nisi quis in hac vita humiliter loqui didicerit, non intelligetur tunc à Christo. Quemadmodum enim, si Romanus fuerit Judex, non percipiet rationes tuas, nisi Latine loquaris: sic etiam Christus non audit, nèque attendit; nisi linguâ suâ utaris. Non libentius Prophetarum ora, quam humillimum hominem Dominus osculatur. S. Chrysost. hom. 79. in Matth.

Garrula. Loquacitas ignorantia certum est argumentum, mendacii opifex, compunctionis desolatio, somni præcursor. Joan. Climacogr. l. 1. de garrulitate.

§. VII.

Lingua bona, sancta &c.

Diffusa est gratia in labiis tuis. Pl. 44. 1. Venit nobis cum Verbo gratia, cum osculo gratia. Quid ista gratiâ dulcius? S. Augustinus hic.

Linguis loquentur nobis. Marci 16. 17. Novitas linguarum ad novitatem pertinet vitæ; in qua cantamus Domino in hymnis, & psalmis, canticum novum. Simon Cass. l. 4. hic. Quamdiu homo turpibus, & vanis, sermonibus intervit; vetera verbaloquitur: cum autem ad laudes Dei convertitur; quasi linguis novis loquitur; Haymo hom. in Alcenf. D. Novis linguis loquitur, qui solita vaniloquia, scurrilia, vitiosaq; verba, devitans, incipit loqui salutaria, Deum laudare, proximum informare, jugiter orare, Dionys. Carth. hic.

Qui erat mortuus, cepit loqui. Luc. 7. 15. Signum certum resurrectionis est, loqui discretè: quia nec spiritus malignus ingressus corpus mortui posset discretè loqui. S. Vincent. Ferr. D. 16. Trinit. f. 3.

Apparuerunt illis dispersa lingua. Act. 2. 3. Venit super Discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur; & legem igneam linguæ igneæ prædicarent. S. Bernardus l. 1. in Pent.

Mordere scommatis, præcul est à Christiano. Linguam habes; non ut alios salibus tuis mordeas, sed ut Deo gratias agas. S. Chrysost. l. 17. in ep. ad Eph. c. 5.

Quemadmodum oportet thuribulum nihil habere immundum, sed solum ignem, & suffitum: ita, etiam linguam nullum oportet profere verbum, quod sit ullâ maculâ, aut labe, respersum. Sit ergo os tuum thuribulum. Idem in Pl. 140.

Lingua hujus Mundi variæ sunt; Christiani verò vel nunc unam edificant linguam; & omnes sub una specie erudiuntur: sapientia nimirum divinâ, truius Mundi. S. Macarius hom. 32.

